

paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum
haud minus quam bellum timebatur. sed ubi aestas ad- 2
venit, contracto exercitu multus in agmine, laudare mode-
stiam, disiectos coërcere; loca castris ipse capere, aestuaria
5 ac silvas ipse praetemptare; et nihil interim apud hostis
quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur;
atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis
ostentare. quibus rebus multae civitates, quae in illum 3
diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere et
10 praesidiis castellisque circumdatae, et tanta ratione cura-
que, ut nulla ante Britanniae nova pars *pariter* inlaccessita
transierit.

Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. namque 21
ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles quieti et
15 otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adiuvere
publice, ut templa fora domos extruerent, laudando prom-
ptos, castigando segnis: ita honoris aemulatio pro neces-
sitate erat. iam vero principum filios liberalibus artibus 2
erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre,
20 ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam
concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor et frequens 3
toga; paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum,
porticus et balinea et conviviorum elegantiam. idque apud
imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

25 Tertius expeditionum annus novas gentis aperuit, vasta- 22
tis usque ad Tanaum (aestuatio nomen est) nationibus.